

*5693* D. O. M. A. *55.*

DISPV TATIO IN AVGVR ALIS JVRIDICO-  
POLITICA  
DE  
**JVRISDICTIONE,**

*244M*  
DECRETO ET AVTHORITATE  
**MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS**  
IN ANTIQVISSIMA ELECTORALI ACADEMIA

HEIDELBERGENSI,

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, EXCELLENTISSIMI, ET CONSULTISSIMI

**DN. JOH. WOLFGANG.**

TEXTORIS,

J. U. D. CVRIÆ ELECTORALIS  
ASSESSORIS FACVLTATIS JVRIDICÆ  
ANTECESSORIS PRIMARII, NEC NON p.t. DECANI,  
PATRONI AC FAVTORIS SVI ÆTERNVM  
COLENDI,

**PRO LICENTIA**

*Summos in utroque jure honores & Privilegia*

*DOCTORALIA legitimè consequendit*

Publico & Solenni Eruditorum Examini submittit

**HENRICVS BECK**

Simerâ - Palatinus.

*iss. jur. civ. Ad diem Martii, horis, locoque solitis.*

*299,8 HEIDELBERGÆ,*

*is SAMVELIS AMMONII, VNLIV. Typog.*

*ANNO M DC LXXXI.*

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO  
**DN. CAROLO**  
**D.G. COMITI PALATINO S.R.I.**  
ARCHITESAVRARIO, ET PRINCIPI  
ELECTORI, DVCI BAVARIÆ,  
&c. &c.  
**PATRIÆ PATRI.**  
PIO. FORTI. FELICI. INCLYTO. DOMINO. SVO.  
CLEMENTISSIMO. HANC. INAUGVRALEM. DE.  
JVRISDICTIONE. DISPVTACTIONEM.  
DEVOTE. SACRAT.  
FAXIT. ILLAS. S. S. TRINITAS. VT. SERENI-  
TAS. VESTRA. JURISDICTIONEM. A. MAJO-  
RIBUS. ACCEPTAM. AD. SUOS.  
HEREDES. FELICISSIME.  
TRANSMITTAT!

SERENITATIS ELECTORALIS

subiectissimus & devotissimus  
servus

**HENRICVS BECK.**

# BONO CUM DEO.

## THESIS I.

**N**iter ardua difficultaque juris argumenta haud ultimum obtinet locum tractatus Jurisdictionis, nulla enim est totius Juris Civilis materia in qua, mutando, variando, corrigendo, versando, plus sibi licere existimaverint Interpretes, dum eam quisque ad suam sententiam accommodare studuit, ac quemadmodum de Archimede literis proditum est quod sphætæ & cylindri rationem in cuius inventione præ aliis ingenii vires exercuerat sepulchro suo incidi in votis habuerit; Sic omnes fere quos tulit hoc seculum nostrum felicissimum, difficillimæ hujus materiæ Interpretes, quasi columnam & statuam, ex interpretatione Jurisdictionis vel legum sub titulo Jurisdictionis contentarum emendatione, tanquam perenne ingenii sui monumentum ambitiosè sibi quæsiverunt, in idque ad stuporem usque adcò intenti fucte, ut quemadmodum superstitioni quidam astrologiæ studiosi arbitrantur, quod omnia rerum fata astris suis sint inclusa, sic & nobilissimam Juris doctrinam, titulo Jurisdictionis, tanquam thesaurum pretiosissimum obsignatam, adservari opinati fuerint; quæ cum animo verso hujus rei pertractandæ me diffidentia incessit, prædictæque materiæ difficultas mihi suggerebat illud Celsi subsisto: quia verò in magnis voluisse sat est, hoc aggressus sum opus cā potissimum intentione, ut in hac sententiarum varietate mihi

una eaque certa esset, quam imposterum sequi possem, & cum in hoc luxuriante seculo summa sit eligendi difficultas, & paucis ea contingat felicitas, ut dextrè queant disjudicare quid distentæ lupinis, ideo annue cœptis ô bone Jesu!

## Thes. II.

Jurisdictio itaque dicta est à jure, quod à jubendo descendit, nam jura secundum Festum iussa dicuntur, & dicere, quod Latinis non tantum loqui, sed & imperium & potestatem dicendi, ut aliquis inde effectus resultet, significat, ut derivata dictare & dictator declarant. Non ergo jus à Justitia appellatum est, nec huic oblistit Ulpianus in l. 1. ff. de J. & J. ibi enim non de derivatione Grammatica uti ego, sed Philosophica intelligi vult vocabulum Juris, de quibus præ aliis vid. Calvin. Lexic. Jurid. voce Jus.

De hisce deducta Jurisdictio complures significationes induit, & quidem (1) Latissime omnem quo in significatu Paurmeisterus scripsit librum de Jurisdictione Imperii Romani, id est, de potestate regendæ & administrandæ Reipublicæ Romano Germanicæ, quibus nimirum & quomodo ea competit, & hoc qui facit Jus publicum describere dicitur, id est, jus illud quod ad statum, formam & regimen ejusque Reipublicæ pertinet (2) Tam vero modiciora seu juris constituendi, quam diuinatio[n]ia seu juris reddendi potestatem l. 7. §. fin. ff. de Offic. Procons. Proconsul enim plenissimam, id est, eandem quam Prætores, tūm singulis postulantibus juris reddendi tūm Edicti proponendi potestatem habuit (3) Sumitur pro vero modiciora Prætoribus & aliis magistratibus concessa. uti in l. 13. ff. de Legib. Ubi ita Ulpianus: quoties lege aliquid unum vel alterum introductum est, bona occasio est, & cæteta quæ tendunt ad eandem utilitatem, vel interpretationem, vel certè Jurisdictione supleti, nam vox statuere hoc numero accipienda pro leges ferre (4) Usurpatur pro

ea politicæ potestatis parte quæ consistit in reddendo jure tam  
judicando quam exequendo in causis sive civilibus , sive cri-  
minalibus , sed hoc rariùs contingit & creibriùs significat sta-  
tuendi juris tantum quām exequendi potestatem , & quidem  
in civilibus solummodo l. 4. ff. de Jurisd. (5) Utī dīmādōtīas  
seu juris statuendi potestas consistit 1. in facto cuius sit o-  
mnino generis cognoscendo , antequam jus ingenere po-  
situm facto huic individuo rectè applicari possit, 2. in statu-  
endo de facti jure & 3. statuto jure exequendo ; ita jurisdictionis  
vox itidem tantum sumitur de primo membro l. 5. ff. de  
re jud. (6) Ponitur pro Edicto quod Prætor pro modo po-  
testatis constitutendi juris sibi tributæ proposuit l. 7. de Jurisd.  
l. 2. C. dt cond. ins ubi vid. Gothofred. (7) Pro ipso effectu  
dīmādōtīas nimirum jus dicentium sententia & decreto ; sic in  
l. 1. ff. si quis jus dic. non obtemper. magistratibus concessum  
esse dicitur defendere Jurisdictionem , id est , sententiam  
suam pœnali judicio , & ead l. §. 1. qui quod extremum est  
in Jurisdictione non fecit , dicitur pro eo qui non paruit sen-  
tentia adde l. 3. de offic. ejus cui mand. Jurisd. ibi alienam Ju-  
risdictionem exequitur. (8) Pro iussu solummodo Præto-  
ris vel ædilium l. 5. de V.O. ita ut excludatur iussus judicum  
datorum (9) Sumitur pro loco , causis , & personis in quo ,  
de quibus , & in quas . Jus dicitur l. 18. l. ult. ff. de Jurisd. (10)  
Pro lege & jure circa quod reddendum jus dicentis potestas  
versatur sic in §. 1. Inst. de fideicom. hæred. diciur fideicom-  
missarum hæreditatum præstationem tractu temporis con-  
versam esse in assiduam Jurisdictionem id est , perpetuum &  
validum jus & l. 23. C. ad SC. Vellej. nominantur antiquæ Ju-  
risdictionis retia.

## Thes. III.

Cum ergò promiscuus vocabuli usus pro ratione subje-

A 3

cti con.

cti convenienter excipiendus sit, & dispositio omnis quantumvis generalis & indefinita secundum subjectam tamen materiam & naturam rei de qua disponitur intelligenda sit & restringenda cap. *solicit.* 6. *X. de major.* & *obed.* l. 14. §. 4. locat. cond. & *ibi Bartol.* & *Salycer.* adeò etiam ut verba ratione subjectæ materiæ ad sensum improprium trahi debeant, etiam in negotiis quorum stricta est interpretatio d. l. 14. §. 4. l. *decem* 116. *de V.O. Everhard.* in loco à subjecta materia n. 7. Excipiam quoque dicto modo vocabulum Jurisdictionis idque hic sumam, in quarta & quinta significatione quā designat eam potestatis politicæ partem quæ consistit, in jure redendo, tām judicando quām exequendo, in causis sive cīlibus, sive criminalibus; Ut verò illa accuratiū cognosci possit, cui competit & qualia ejus sint iura, rem altiū exordiar & quod ajunt ab ovo repetam.

## Thes. IV.

Et quidem horribilis iste dirusque protoplastorum lapsus, quo uno bolo omnes paradisi perdidere delicias omnesque suos posteros suæ culpæ reliquère hæredes ex sacris pandectis notior est, quam ut ejus prolixa narratione humana mens satis alias turbata magis ad huc confundi debeat, quicquid ergò in ea materia de primæva protoplastorum conditione, de creatione ad imaginem Dei, de libero arbitrio & aliis disputari solet, Theologis discutienda relinquo, hoc tantùm dolendum homines eo lapsu proh dolor! prostratos de sublimi rerum omnium cognitione in abyssum crassissimæ ignorantiae, eò magis inculpandæ quod pœna sit inobedientiæ non defectus naturæ & quia noluerunt vivere in rerum omnium congruentia cum voluntate Dei, cum poterant, postmodum debuisse contrarios Deo & propriæ suæ saluti, quamvis noluissent. Tantùm enim abest ut pristinæ virtutis reliquias

reliquias excolere, & sepultas sub ignorantiae cineribus sapientiae scintillas excitare laborarint, ut potius eas penitus extinguere & male vivendo funditus eradicare summa vi nifi fuerint.

## Thes. V.

Ne itaque summa cum infimis miseri, æqua iniqua perinde haberi, latrocinia, cædes, adulteria, committi, rationis ductum facessere, insculptam divinitus animis legem violari, ac denique mortalium genus intercidere penitus, aut in extremam saltem nequitiam vergere oportuisset, huic inquam malo sapientiores præcavere volentes, in id intenti fuere, ut homines externo aliquo principio contra internam inclinationem ad bene agendum cogerentur, ut tractu temporis virtutibus imbuti & à vitiis abducti, actiones in potestate habere inciperent, ut non tantum ad mandatum superioris actiones suas juxta virtutes componere cogerentur, verum etiam, ut continua assuetudine spontaneo motu ad eas inclinare, adeoque citra coactionis molestiam virtutes se stari possent. Nam aliás ni hoc factum & rectores civitatum seu jus dicentes instituti essent, feriorem feris vivemus vitam, non mordentes tantum; sed & vorantes alios alii, & magistratus si abstuleris perierunt omnia, non urbes stabunt, non agri, non forum, nec quicquam aliud, evertentur omnia, & fortioris esca fiet quilibet infirmior.

## Thes. VI.

Unde patet communem humani generis in hac civili sociate beatitudinem esse ultimum finem imperantium, & sicut post discretas civitates cuilibet propositus scopus est beata vita; sic communis beatitudo humani generis, communis & ultimus finis fuit & adhuc est omnium civitarum conjunctum consideratum. Quare ut theoreticus subsistit si in contemplationibus

repe-

repererit subjectum adæquationis, sic obtenta civium felicitate, tanquam fine, politicus ulterius progredi & præscriptos suæ disciplinæ practicæ limites transilire non debet. Cæterum licet cuilibet & omnibus civitatibus finis sit beatè vivere, eam tamen beatitudinem, non omnes civitates in eadem re collocant, aliæ quippe potentiam amplam & imperium in vicinos populos, aliæ divitias, aliæ voluptates, aliæ denique virtutis omnigenæ exercitium cum rerum sufficientia conjunctum, credunt esse illam felicitatem sibi propositam.

## Thes. VII.

Quodcunque ergo facit ad obtainendum propositum civitatibus finem, sub politicæ potestatis est dispositione, ei quippe in cives seu civitatis partes, & ipsas partium res, eminentius aliquod competit dominium, communis boni causa, quàm dominis singulis & hoc est, quod vulgo dicitur: in res singulorum majus esse dominium Regis ad bonum commune, quàm dominiorum singularium, & Republicæ quemq; magis obligati, quàm creditor; Quo sensu Philo dixit: argentum, aurum, & quæ pretiosa alia apud subditos custodiuntur, corum qui regnant magis esse quàm possidentium. Nec dominium hoc tantum in Jurisdictione, protectione & administratione consistit, ut quidam putant; sed in libera potestate dominica, alienatione, & quolibet modo de rebus subditorum disponendi juxta exigentiam Reip. Æquitas ejus non ex privatis, sed publicis rationibus metienda est, quod à singulis non satis distinguitur, qui jus hoc ad privati juris rationes exigunt, ideoque ut iniquum & tyrannicum avertantur. Privatae rationes sunt quæ Titii aut Mævii, publicæ quæ non tam ipsorum quàm omnium licet cum privatorum istorum damno, respiciunt utilitatem, ita, ut leges & rationes minores cedant majoribus: lex quidem est, alteri

alteri suum non esse auferendum , sed est alia superior salutem publicam esse procurandam , quæ illam non attendit . Privatas rationes attendunt judices , publicas autem , privatis postpositis , ubi aliter fieri non potest supremi magistratus , qui si boni sunt privatas nunquam negligunt si pariter publicis possit satisfieri , publicas autem si prudentes sint semper præferunt , ubi non , nisi privatis rejectis . Respublica potest juvari .

## Thes. VIII.

Vis ergo ipsa Imperii propter salutem publicam instituti , sufficientem Principi titulum præbet ex justa causa ( quæ scilicet cum necessitate & utilitate publica conjuncta sit , ne alias auferendo bona Majestas plus obsit privatis quam Reipublicæ prosit ) utendi bonis suorum subditorum . Imminente necessitate quæ non patitur , ut indictio fiat & collecta Princeps per manus injectionem divites compellere potest ad mutuandam pecuniam , prout in Belgio aliquoties factum testatur Gail . lib . 2 . Obs . 5 . obtainendæ pacis causa remittere damna subditis illata , exclusis illis ab omni actione , ita tamen ut si unus alterve damnum passi sint , publica contributione serventur indemnes , si verò plures ut indemnatio fieri non possit , sine ulla refusione pretii . Extrudi fortalitii causa subvertere agros privatorum , refuso tamen pretio à communitate ut cuius bono sit fortalitium , ejus aliquali etiam incommodo levetur damnum tertii . Repeto : Cum finis civitatis ab Imperantibus ad id institutis , omnino procurari debeat , finis autem ille , id est , felicitas civilis societatis consistat in eo , ut cives virtutis opera exerceant in vita omnibus fortunæ bonis sufficienter instructa : Itaque & Majestas ejusmodi civitatis concurrente justâ causa facere , omittere , vetare , jubere , permittere poterit ,

B

quic-

quicquid ad illam obtinendam facit, licet cum dāmno & dispendio rei familiaris privatorum, quicquid verò istuc non facit & sine quo scopus ille obtineri potest, illud ad potestatē Majestatis politicae non pertinet, adeoque peccat illa si quidem istuc usque imperium suum extendat incivitatis partes.

### Theſ. IX.

Quia vero magnus numerus hominum per disjunctissimas oras diffusus in unam civitatem coire, ac uno imperio digeri nequivit, separatas sibi constituerunt civitates, formamque regiminis elegerunt prout temporum conditio admisit, quæ verò causæ fuerint προκαταρκτικαὶ sive quibus moti & impulsi homines primò in civilem societatem coaluerint, apud publicistas controversum est: Ut omittam ridiculam illorum opinionem, qui aut ignis miraculo, aut artis culinariæ sive coquinariæ ergo, aut dulcedine Musices ab Orpheo excitatae eos coivisse somniant, sunt alii qui putent exinde ortam civitatem, quod viribus potentiores sibi subjecerint minus validos, & exemplum ponunt in Nimrodo quem ob id Politicorum patrem vocat Laurentius Pignorius, quò etiam Tacitus inclinare videtur, qui 3. annalium postquam inquit exui æqualitas cœpit, & pro modestia ac pudore ambitio ac vis incedebat, provenere dominationes; ubi *adde Forstner*. Idque factum dicunt divina permissione propter commune bonum, & vitium violentiæ purgatum fuisse per longissimum consensum, seu dissensum tandem transivisse in consensum.

### Theſ. X.

Alii existimant non quidem vi externa coactos fuisse homines ad civilem societatem ineundam, sed bonos verentes ne à malis injuriis afficerentur, sponte in societatem coivisse,

coivisse, quò etiam inclinat *Hugo Grotius de jur. B. & P. lib.*  
*I. c. 4. §. 7.* dum inquit primò homines non Dei præcepto  
 sed spontè adductos, experimento infirmitatis segregum fa-  
 miliarum adversus violentiam, in societatem civilem coivisse;  
 alii denique arbitrantur homines in civitatem sese coadunaf-  
 se, ad mutuò sublevandam indigentiam, quam hactenus  
 sparsim viventes senserant, cùm quibus coveniunt re ipsa &  
 cæteri, eò omnes tendentes factas fuisse sociates civiles,  
 ut eò meliùs esset conjunctim viventibus.

## Thes. XI.

Nulla tamen harum assertionum adæquatam causam  
 explicare videtur, aliàs sequeretur si per Adami lapsum in vi-  
 tia non defecisset humanum genus, nullam futuram fuisse ci-  
 vitatem, quod falsum est, utique enim futurus fuisset cer-  
 tus quidam ordo & distinctio parentium & imperantium,  
 æquè ac inter angelos bonos & malos, quorum alii aliis uti-  
 que subsunt, gradibusque invicem distinguuntur *I. ad Thess. 5.*  
*c. 4. v. 16. ad Coloss. I. v. 16.* Principis Dæmoniorum mentio  
 fit *Matth 9. vers. 34.* quem principatum post peccatum non  
 prius acquisivit, sed secundùm conditionem quam ante ha-  
 buit retinuit, adeo ut Politia inter dæmones & concordia  
 sit qualis inter latrones. *Joh. Wier.* Reges, Duces, Marchiones &  
 Comites Infernales recenset, cui addc *Aüerum process. B. con-  
 tra J.* assertum meum insuper evincunt pueri & fœminæ,  
 qui ut ab aliis regantur & manuducantur ob imbecilliores  
 adhuc consultandivim necesse habent, quod sanè discriminem  
 in hominibus etiam non lapsis animadvertere licuisset, cùm  
 & ipse Salvator noster nullo licet peccato contaminatus sa-  
 pientia profecisse scribatur; ordo autem talis citra societatem  
 nequicquam potest constitui; regenda ergò tūm etiam fuis-  
 set societas sed imperio blandissimo, domicilia propria, &

B 2

distin-

distincta domicilia in distinctis familiis futura fuissent per universum orbem.

Theſ. XII.

Arripienda itaque sententia Aristotelis, qui vult hominem naturā esse animal τὸ πολιτικὸν, id est, innato naturæ instinctu ad civilem societatem ferri, adeoque hominem omni licet malorum metu absente, natura nihilominus civilem hanc societatem appetere; Ad stipulatur huic Cicero lib. I. offic. quando ait: Ut apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cùm congregabilia natura sint fingunt favos, sic homines ac multò etiam magis naturā congregati adhibent agendi cogitandique solertiam. Non tamen hoc affirmare volo si qui civitati alicui certæ se non addicant, sed felicitatem suam in vita solitaria invenire possint, uti olim fuerunt Anacheretæ & Hesychitæ imò & Patriarchæ quidam, eos committere quid contra naturam, ut pote, quæ civilem societatem non præcisè præcepit, sed tantùm hominem ad in ea felicitatem suam inveniendam idoneum produxit cum certa ad eam inclinatione, ita ut hominem dicam natura animal πολιτικὸν eo sensu quo Seneca epist. 92. naturā animal mundum & elegans. Nec etiam negabo instinctum illum naturalem per alias causas impulsivas, nimirum conjunctionem sanguinis, vitæ consuetudinem, bella &c. maximoperè fuisse promotum & excitatum ad incendas societas complures & diversas ut dictum.

Theſ. XIII.

Cùm verò homines (ut è diverticulo in viam iterum veniam) civili beatitudine fruituri coiverint, eatenus Rem publicam constituunt quatenus sunt idonei regi per magistratus & judicia, non verò quatenus ad aliud quid apti, & qua-

quatenus simpliciter homines , sunt subjectum & materia Civitatis , cui proforma est Respublica , quia verò civitatis finis est in beatitudine & felicitate vivere , ideo necesse est ut in ea viventium corrupta natura non tantùm lenibus remediis , sed & si nihil hisce proficiatur acriori vi refrænetur , & intra virtutis orbitam coērceatur mediante Jurisdictione , quæ cùm sit accidens , subjectum quod ipsi det esse inquirendum esse patet , & quidem subjectum primum, proprium & adæquatum , non id quod per participationem influit , ac proinde nequit accidentibus cognoscendi principia suggestere.

## Thes. XIV.

Ex quo sequitur incassūm laborasse illos qui Jurisdictionis naturam ex Prætoris , Proconsulis, vel denique cuiusvis magistratus , quibus non formaliter ac primò, sed per participationem competit , officio seu Jurisdictione , hactenus dimensi sunt, negari enim non potest fuisse Respublicas, & adhuc consistere posse , ubi Majestas præ paucitate ciuium non indigeat magistratum , uti etiam initio civitatis Romanæ omnia manu à solis Regibus gubernabantur *Pomponius l. 2. §. 1. de Orig. Jur.* quis quæso hic Jurisdictionem ex potestate magistratum definiet? Et si illi disputationes ad Romuli & sequentium Regum tempora ubi ignoti Proconsules , ignoti ciuilium & criminalium rerum magistratus , respicerent, credo nullam ibi fuisse Jurisdictionem affererent, aut certè ex magistratum potestate non esse definiendam jurisdictionem tandem agnoscerent , estque extra dubium, si status nostrorum Principum & civitatum redigendus esset ad normam Jurisdictionis quam Jus Civile Romanum supeditat, nihil aliud posse effici, quām juris quæsiti per tantum tempus summotionem ; Ratio ejus , quod cum facies

illa Romanii Imperii penitus immutata sit, nec Majestas amplius residet penes quem antea fuit, hinc & Jurisdictionis natura aliter ac olim explicari debeat. Quis enim ignorat Carolum Magnum Imperatoresque Romanos multos in Imperii consortium adscivisse quidem magistratus, sed hos duntaxat ad solam vel urbis, vel provinciarum rerumque ad illas pertinentium administrationem cum precaria & tempora-nea potestate Jurisdicendi adhibuisse: Quod vergente Caroli Magni prosopia quum Francorum Regum auctoritas magis magisque invilesceret posterioribus Imperatoribus postmodum aliter placuit, quippe qui magistratus à se creatos alio modo admiserunt in imperii consortium adsignatis ipsis provinciis quas jure fermè eodem haberent quo Imperator haberet eas quas sibi retinuerat.

## Thes. XV.

Quid ver multis opus est verbis? In omni Republica quæ proprio imperio regitur esse oportet qui jus in universo statutum partibus applicet, seu jus reddat singulis, atque hanc constituti Juris singulis reddendi potestatem Jurisdictionem appello, quæ nihil aliud hoc loco est quam potestas administrandæ justitiæ, quæ cum in omni Republica sit necessaria experiar quod nam sit ejus primum & adæquatum subjectum, id est, in quo hæc potestas essentialiter ac primò consistat; ut igitur hæc potestates est in omni Republica perpetua & ut dixi necessaria, perpetuum quoque desiderat subjectum & essentialē, tale vero subjectum non possunt esse magistratus inferiores quia possunt abesse à Republica, ac quatenus sunt tales habent potestatem precariò à Majestatis arbitrio dependentem, sed tantùm superiores imperantes, seu Principes; primò enim populus Campanus sc, urbem Capuam, agros, delubra Deum, divina humanaque, omnia

omnia dedit in ditionem Populi Romani *Livius.* qui & ipse postea in Principem omne suum imperium Lege Regia contulit *l.i. ff. de constit. Princip.* ut & alii quos major vis aut honorifica de Principe opinio ad id adduxit.

## Thes. XVI.

Neque ad stipulandum illis, qui volunt omne summum imperium independens non esse, sed proximè à consensu, suffragio & voluntate populi vel expressa, ut in regnis Electiis, vel præsumta, ut in regnis successivis dependere, eique radicaliter, fundamentaliter inesse & cohærere, ita ut ab eo avelli non possit, ratione vero administrationis & exercitii spectare ad summum Magistratum, cui commendatum sit à corpore Reipublicæ, adeoquè formam cujusque Imperii essentialē & subjectum adæquatum non esse vel Monarchiam, vel Aristocratiam vel Democratiam sed, formas has esse solummodo accidentales; Verum enim verò ut taceam, in statu populari & democratico dici non posse regimenteri populo esse demandatum à se ipso, quod absurdum & hoc casu formam regiminis omnino statui debere esse essentialē, ac sine contradictione dici non posse Primo quid in aliquo considerari & tamen habere respectum dependentiæ & participationis ab alio, hoc tantum quero, cum extra omne dubium sit positum, reperiri ejus generis homines quam plurimos, quos, ut loquitur Seneca *cap. 5. de vit. beat.* in numerum pecorum & animalium redigit hebes natura & ignoratio sit, ita ut in homines quasi cogidebeant, ut ille ni fallor, Plautus fatur, quomodo hi cum ne quidem sigillatim sibi queant consulere, quid in rem communem sit, quisque adeo summae rerum præficiendus dispicere valebunt? *vid. H. G. d. Jur. B. & P. l. l. c. 3. n. 8.*

## Th. XVII.

## Thes. XVII.

Et quidem prædicta reddendi juris potestas si consideretur in Majestate tanquam subiecto suo adæquato cui immediatè competit, tūm ea per omnia rerum genera in quibus jus statutum reddi necesse est, diffusa esse deprehenditur, estque occupata tām circa criminalia quām civilia. Nam profectò Jurisdictio in tali subiecto adæquato considerari omnino debet, si enim consideretur quatenus est in magistribus, tūm eius nomine interdum solam notionem, interdum & exequendi potestatem & utramque interdum in civilibus solummodo, interdum in criminalibus venire vides, prout, supra *thes. 2.* jam explicatum & in sequentibus adhuc dicetur. Nec obstat quod in Jure Romano de rebus criminalibus statuendi potestas plerumque non veniat & comprehendatur sub nomine Jurisdictionis, sed huic semper opponatur sub nomine meri Imperii *vid. Vinn. tract. de Jurisd. c. I. n. I.* mihi enim de re potius quām verbis sollicito formam & regimen Reipublicæ Romanæ & nomina in ea usitata tam exactè considerare non lubet sed ex ipsis ratiocinari principiis; porrò in omni facto tum civili tum criminali hæc potestas ex partibus obiecti vel est facti de quo disceptatur cognoscendi, de facto cognito statuendi, vel denique statuti exequendi.

## Thes. XVIII.

Factum principiò cognoscendum est cuius sit omnino generis, ut jus in genere statutum individuo rectè applicari possit, quæ potestas cognoscendi Notio in jure dicitur *l. 99. ff. de verb. sig. l. 5. de re jud.* vel specialius cognitio seu quæstio facti *l. 1. §. 4. ff. ad SC. Turpill. l. 18. in princ. ff. ad Municip.* & quidem facti quæstio ideo, quod quale sit factum individuum cognitor tantum possit dicere legislatot non possit, si verò de facto constet etiam de jure facti statuendum est

est & definiendum an sit justum vel injustum, frustranea enim esset omnis cognitio, inanisque omnium legum tenor, si de facto cognito non statueretur, vel quod verbis in lege quasi meritus esset ejus re ipsa non fierem compos, & haec potestas statuendi in jure propriissimè Jurisdiction dicitur l. 4. ff. de Jurisd.

Verum neque cognitione neque definitione juris perficitur reddendi juris potestas, nisi etiam ipso actu quod statum fuit executioni demandetur, quæ executio vel potestas exequendi, id quod dixeris pro Jure Imperium appellatur, l. 3. 4. ff. de Jurisd. l. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. & ratione termini seu finis jurisdictionis extreimum in jurisdictione l. 1. §. 1. ff. si quis jus dicent. non obtemp.

### Theſ. XIX.

Quæ Notio, Jurisdiction & Imperium sunt partes potestatis essentiales quæ in Principe copulatæ in magistratus inferiores etiam separatim diffundi possunt, ita ut Titius cognoscat, Mævius statuat, Sempronius exequatur, sive res criminales sive civiles sint, neque in Majestate hæc separare opus est, promiscuè enim in omni negotio jus & constituit, & reddit & exequitur. Quia vero innumera civium negotia hoc non patiuntur, subordinari aliquos oportet, qui Majestati in iis expediundis opitulentur pro modo potestatis in hac vel illa objecti vel jurisdictionis parte ipsis attributæ. Non solum enim potest Maiestas jurisdictionem omnem & universam vel partem eius demandare, ut dictum, sed & in certas personas de omni causa, vel in Titium & Caium de una specie, ut de injuria vel stipulatione. Quod ut cō melius pateat omnesque difficultates rejiciam, jurisdictionis obiecta ex suis generibus constituam, suntque vel Ecclesiastica,

C

siaistica , Civilia & Criminalia , hinc Jurisdictio Ecclesiastica , Civilis & Criminalis.

### Theſ. XX.

Jurisdictio Ecclesiastica est quæ Ecclesiastico magistrati competit in causis Ecclesiasticis c. 11. c. si clericus, e. cum sit generale, c. licet & tt. de foro compet. Auth. Statuimus C. de Episcop. & Cleric. Secularis quæ Civili seu Seculari competit magistratui in negotiis secularibus, text. in Ord. Cam. Imp. p. 2. Tit. 1. in pr. vers. doch sollen daneben ic. Quæ Secularis vel est contentiosa vel voluntaria; Contentiosa, quæ vi Imperii in invitos & contendentes ac in propriis territorii limitibus exercetur. l. 2. ff. de Offic. Proc. ubi Dd: Voluntaria quæ in volentes juxta solam ipsorum potentium voluntatem ubi vis locorum exercetur, ut in emancipationibus, manumissionibus, & similibus actibus sponte suscepis d. l. 2. ff. de Offic. Proc. Item propria & aliena, propria est quam quis suo jure seu vi muneris publicè delati non beneficio alterius exercet l. 5. l. 6. ff. de Jurisd. aliena rursus in mandatam & prorogatam, mandata est quam quis beneficio & concessione eius in quo principaliter seu proprio jure residet exercet l. 5. 6. 16. & 17. ff. de Jurisd. circa quam hæc regula tenenda. Quæcunque specialiter lege, SCto, vel Constitutionibus Principum tribuuntur mandata Jurisdictione non transferri, quæ verò jure Magistratus competit, mandari posse l. 1. ff. de Offic. ej. cui mand. Jurids.

### Theſ. XXI.

Prorogata est quæ competit ex submissione partium voluntaria dum nullatenus ei qui non habet l. 3. C. b. sed jurisdictioni eius cui ea concessa se subjiciunt, & fit vel expressa liti-

sa litigantium conventione, quando eligunt alium judicem  
 cui subiecti non sunt l. 18. ff. de Jurisd. l. 1. C. eod. vel re  
 ipsa & tacito consensu per litis contestationem, quando reus  
 exceptionem fori omittens in judicem consentit, cui, si li-  
 tis contestatio accessit, prorogatio facta est, l. nemo 4. C. de  
 Jurisd. vel inducitur autoritate legis per Reconventionem,  
 per quam actor qui reum judicio convenit tenetur coram  
 eodem judge, tametsi non suo à reo conventus stare &  
 respondere l. cum Papinianus 14. C. de sentent & interlocut. omn.  
 jud. Denique ratione diversorum judicum in separatam,  
 Concurrentem, & Communem. Separata quando alii de  
 aliis personis l. 6. C. de Jurisd. causis, l. fin. d.t. quantitatibus  
 l. 11. ff. eod. & locis l. 2. ff. de Offic. Jurid. cognoscunt, ubi hoc  
 tenendum neminem adversus alterum præventione uti pos-  
 se. Concurrens cum eadem causæ plurimorum magistratu-  
 um cognitioni subiectæ sunt & hic præventioni locus est, ut  
 is sit judex qui primus citavit l. 30. de Jud. l. pen. de Jurisd.  
 l. 14. & Auth. seq. C. de Sentent. & interloc. Communisquam  
 illi qui simul de aliqua causa cognoscere debent, habent,  
 nec unus sine alio Judicare potest l. 37. de re jud. uti fit in col-  
 legiis ubi pluralitas votorum inspicitur l. 19. ad Municip. l. 36.  
 de re jud.

## Thes. XXII.

Jurisdictio Criminalis versatur circa res quibus secun-  
 dum jus civile pœna gladii imponitur per l. 3. de Jurisd. ita  
 tanien ut sub nomine gladii quævis gravior coercitio com-  
 prehendatur, imò nec pœnæ pecuniariæ à gradibus gravio-  
 rum coercitionum, planè excludendæ, prout vult Vinn. in  
 suo tractat. de Jurisd. c. I. n. 5. Quod certè obtinet si loqua-  
 mur pro subiecta nostra materia sensu politico, quô res Cri-  
 minales

minales sunt quas qualis qualis pœna insequitur , ubi tamen notandum , si quæstio sit cui aliquo in loco competit merum Imperium quod nunc vulgò appellatur Centena , hæc minimè procedere sed distinguendum esse inter Centenam plenam vel universalem , & restrictam , limitatam , & particularem ; Prior si alicui competit , tūm habebit , omnium omnino criminum etiam leviorum coëctionem , quandoquidem ut plurimum exercetur conjunctim cum jure territoriali . Si verò tantūm posterior , quæ ut plurimum separata est von der Landss Fürstlichen Obrigkeit / & in alterius territorio plerumque etiam exercetur tūm Criminalium rerum appellatione regulariter veniunt quatuor delicta grandiora die vier haupt Ruegen/ als / Mord/ Brand/ Nohtzucht und Diebstall.

## Thes. XXIII.

Borrò pœnam quæ crima insequitur vel personâ vel rebus pendimus , rebus quando pœna pecuniaria imponitur , ut in lege Aqualia , Deposito , Furto . Personâ , quando vel honor personæ vel talus afficitur , honor si existimatio læditur *I. pen. de extraord. cognit.* Salus , quando corporis affligitur incolumitas , idque internecione corporis , vel sine internecione , internecione quando prorsus conficitur homo *§. 2. Inst. depub. jud. l. capitalium 28. de pen.* Sine internecione aut integro , aut corrupto corpore pœna infligitur *I. o. §. fin. l. 7. l. 8. & l. 28. §. ceteræ pœnæ & §. seq. de pen.* integro quando fontes vel carcere , ( sumpto sensu politico ) continentur vel regione & loco exesse jubentur & quidem salva civitate , aut amissa , illud relegatione , hoc deportatione contingit qua vita civilis adimitur *d. l. 8. l. 17. de pen.* Corrupto corpore pœna luitur

Iuitur membro rupto , vel abscisso, ut amputatione manus,  
pedis, digitorum, aurium &c.

### Theſ. XXIV.

Hoc itaque modo diremtæ rerum administrandarum species magistratum officia ex partibus potestatis & generibus objecti distribuenda, describenda, ac intelligenda præfiniunt, diflinxi enim & potestatis partes & species objecti, dixique has vel separatim vel conjunctim magistratibus tribui posse, ex quibus facilè erit jurisdictionis difficultem materiam, legesque quæ hactenus obscuritate sua nobis obſtitere intel ligendo assequi.

### Theſ. XXV.

Inter alias verò l. 3. ff. de Jurisd. est, quæ tantum negotii faceſſit tūm in foro tūm in ſcholis ut multi Jurisprudentum ad ejusdem elucidationem quotquot hodie eminent inge nia deficere desperarint, veteresque Juris Consultos ad id reſuſcitari neceſſe crediderint, inter alias ejus cauſas eſt & illa moſ veteranum Juris Consultorum loquendi populariter & crassè philoſophandi in materia Jurisdictionis, ſtatuendi po teſtatem propriè Jurisdictionem dicebant, ſed deinde non ſolum hæc, ſed totum magistratum officium jurisdictionis no mine venit, hinc ratione ſubjecti magistratus mixtum Imperium Jurisdictioni, & Jurisdictionem mixto Imperio in eſſe statuerunt, non fanè quod po teſtas juris ſtatuendi ejusdemque exequendi mixta ſit poſſive miſceri; ſed quod idem magistratus qui ſtatuendi, etiam exequendi po teſtatem habeat, neque putandum dari imperium aliquod quod quid pa rti cipet à Jurisdictione; licet enim Imperium

C 3

illud

illud ita unitum & conjunctum sit cum Jurisdictione, ut hæc duo ratione personæ cui ambo competunt, indissolubili vinculo inter se copulata & nexa ita sint, ut alterum ab altero divelli non possit *l. ult. ff. de Offic. ejus cui mand.* uti nihilominus nominibus distincta sunt ita & re ipsa sunt diversa actusque Jurisdictionis & Imperii distincti, ita ut neque quod Jurisdictionis est Imperio, neque quod Imperii attribui debeat Jurisdictioni *Vinn. Illust. quæst. lib. I. cap. 8.* solam exequendi potestatem merum imperium nominarunt & quia hoc in magistratibus Romanis evenit meri & mixti Imperii nomina produxit, neque putandum ratione Criminalium merum Imperium appellari, merum imperium enim est potestatis non objecti *l. 3. ff. de Jurisd.*

### Theſ. XXVI.

Quomodo vero ratione criminalium tantum meri imperii nomen profluxerit paucis videbimus. In Ubrbe Roma adeoque Orbe Romano summam potestatem initio Reges habuere postea Consules, inter quos Valerius Publicola Fasces submisit populo & lege lata effecit ut à Consulibus provocatio esset, neve possent injussu populi in caput civis Romani animadvertere *l. 2. §. 16. ff. de Orig. Jur.* alios ergò eam in rem constitui obtinuit populus nimirum Quæstores Parricidii (quo vocabulo omne homicidium apud veteres intelligebatur) & Triumviro Capitales, Quæstores maleficia inquirebant & manifesta ex officio puniri curabant. Triumviri tantum præerant executores sententiis ab illis latis, sub se habentes ministeria Carnificum per quos eas executioni dabant (credibile enim omnino est in tanta orbis terrarum domina superiores aliquos his etiam ministriis

riis præfuisse , uti adhuc hodie apud Turcas insolens non habetur si Bassæ aliive viri Principes ad necandos aliquos deputentut ) qui Triumviri solùm merum imperium habere dicebantur , non quasi in criminalibus non æquè ac in civilibus ante executionem causæ cognitio necessaria esset , ac suffecisset imperasse alliga ad palum , cæde , ure , seca . Sed quia ipsi gaudebant tantùm exequendi potestate , statuendi verò & cognoscendi in criminibus decorati erant alii . Dicitur ergò merum imperium quia purum & per se solum est alterius rei mixturam non habens , oppositivè nimirum ad imperium quod Juris Consulti mixtum & non merum appellant & Jurisdictioni cohæret inest , subservit ; Scimus enim merum propriè dici de eo quod purum est & solum ; ut vinum quod aqua non dilutum , & merum jus Gentium quod non mixtum cum præceptis civilibus l. 31. pr. Depositi . Sic & dicitur mera conditio in dando , mera conditio in faciendo ad differentiam mixtæ ex utraque l. 82. vers. sed nos neque ff. de condit. & demonstrat.

### Thes. XXVII.

Atque sic criminalium rerum Jurisdictionio à Consulibus transiit ad populum , cuius consensu illi magistratus constituti quorum quidam jus dicerent , non aliter tamen ac populus vellet ut Quæstores , quidam jus statutum exequuntur , ut Triumviri . Si porro ut in Criminalibus sic etiam in Civilibus cognoscendi & exequendi potestas fuissent sejunctæ , tum hæc posterior eodem planè modo merum imperium appellari potuisset , sed quoniam ratione subjecti cui competunt hæc duæ potestates semper sunt unitæ , hinc uno nomine mixtum imperium appellantur , ut sic concurentium

rentium potestatum conjunctio mixti imperii nomen prodiderit; Quo intuitu ante Valerium, potestas de capite ci- vis dici potuisset imperium mixtum. Hinc porro ratione subjecti continentis nihil interest num civilem aliquem ac- tum adscribas mixto imperio an Jurisdictioni, num dicas im- perium inesse, servire Jurisdictioni, an Jurisdictionem Impe- rio; Sic mixti imperii exemplum est Bonorum possessio, de qua Prætor, utpote re civili & statuere potuit, & exequi statutum, aliud exemplum est licentia dandi judicis quo- niam Prætor & statuere poterat dandum judicem & reipsa dare. Sed inquis cur ergo Ulpianus in *d. l. 3.* eam tribuit Iurisdictioni? Respondi modo nihil referre, tūm animad- vertendum à fine hanc licentiam judicis dandi Iurisdictionem appellari, non per se, Prætor enim ipse rebus cognoscendis impar subsidiaria judicum opera, tanquam medio ad finem cui destinata erat utebatur, unde hæc licentia à fine cui serviebat jurisdictionis nomen adscivir. Atque hæc pauca (*Saturnina deliramenta nihil curanti*) de hac materia dixisse sufficiat, exemplo Iuris Consulti *L 17. ff. de jure Pat.*  
*rectius sentientium judicio salvo, Illi verò, sine*  
*quo omnis Iurisdictionio manca,*  
*Soli Gloria.*

F I N I S.